

Ms. 296.

(X204 4369)

Z a  
2918

# Rector Academiae

Lipsiensis,

*In Exsequiis*

JOHANNIS BOHEMI, J.U.D.

& Antecessoris.

*Causs Bohemi, 1 lth.*

BIBLIOTHECA  
MONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)





Uris Consultum & Antecessorem nostrum, Johannem Bohemum dum libenter cum Gallo illo Aquilio comparamus, dolemus hoc unum, statua ei à nobis non posse poni. Quum enim in scientiâ legitimâ cum priscis Prudentibus paria semper fecisset, supremo honoris genere esse utiq; non debebat inferior, quo longe merebatur esse cumulatisimus. Quem etsi non in legatione, ut Romani Aquilium: Amisimus tamen eâ tempestate in urbe, quo Reipublicæ causâ adesse maximopere oportebat: Abesse vero quod legati est, opus perinde non erat. Quod si statua meretur, qui habet famam; sit sanè ex formulâ instituendi postumi, & stipulationis à se excogitata Aquilius celebris: Certè ne non sit, interpreti docto debebit. Abs quo si esset, dudum hoc nomen inter caninam ordinariorum, hominum facundiam obtritum foret, & obsole-tum. Quòd verò non unius civitatis jure peritus fuit D. BOHEMUS, habemus enim verò quod opponere Romæ non solum; sed præponere etiam

pos-

possumus. Neq; obvertant nobis Quirites veterem Germaniæ faciem, quamvis nec ista Gorgoni nobis esse debeat. Vbi plus boni mores, quam alibi leges valebant. Diu enim nunc est, ex quo Germania legibus scriptis uti non contenta, Italia ipsi præscribere cœpit. Exstat etiamnum edictum Theodorici, Ostrogothorum Regis. Leguntur Burgundionum, leguntur Salica, Alemannorum, Bojoariorum, Ripuariorum, Langobardorum, Saxonum scita prisca. Ne dicamus de jure quod ante hæc cuncta olim Gallis sub Pharamundo Duce intulere Franci, suoq; ipsius senio pridem disparuit. Itaq; Germania jam dudum non solum perinde cum Romanis, sed postremo scriptas etiam à Romanis liberè suscepit leges. Quas uti à Lothario Saxone, Imperatore, ipsi Italia redditas non nimis tutò credimus: Ita in Germaniâ vim legis cum natalibus demum Judicii quod Camerale, vocamus, obtinuisse, liquidò affirmamus. Adeo autem hodie qui dignitatem de jure respondendi, autoritate summæ Majestatis tueri velit, non suæ civitatis jus, ut Gallus Aquilius: Ejusdem tamen, cujus ille: Præterea etiam Pontificias Langobardici feudi,

Sa-

Saxonicas, atq; adeo municipiorum ferè singulo-  
rum leges nosse, & placita oportet. Proinde si  
pro singulo jure ponenda venirent statua singu-  
la; Decerni non una Defuncto debebat. Nunc  
quum prestando, quantum decebat, non simus  
pares: Par erit utiq; quantum pote prestari.  
Id vero agemus ita ut à supremis, quæ quilibet  
Vestrum cognita habet, exorsi, dicendi finem ibi  
statuamus, unde ille vivendi initium sumserat.  
Veremur enim ne si ab ineunte etate progredia-  
tur oratio, (cum infantia plerisq; nobis solet esse  
similis) tantum hujus viri præstantiæ apud ani-  
mos Lectorum decedat, quantum puerilibus an-  
nis recensendis tribuimus. Cumq; verba factis,  
si possunt, sint exæquanda, ejus vulgatà Rheto-  
rum orbità compeSCI gesta, in quo nihil ferè fue-  
rat vulgare, indignum esse remur. Etenim non-  
dum stipendio publico docentibus adscriptus,  
non minus atq; Gallus, habebat Alfenos, Gajos,  
Ofilios, Tuccas, Flavios Priscos, discipulos suos  
ac sectatores; qui hoc moderatore, si non libros,  
ut ille, propè centum & octoginta: Tale tamen  
publico dissertationes dedere, quæ in hoc tenerri-  
mi judicii seculo ferre etatem possunt. Hinc fie-  
bat, ut annis abhinc duodeviginti quatuor  
Na-

Nationum suffragiis, quibus ceu cardinibus  
moles corporis Academici vertitur, sceptrum U-  
niversitatis acciperet. Quæ cum nec agnoscantur  
nulli, nec in indignis abjiciantur, neque dignorum  
hominum penuriâ obtrudantur cuiquam, quid  
esse nisi una virtus poterit, quæ magistratum ei  
illum festinaret? Si verò quis adeo id mirum non  
esse contenderit, quòd Saxonum perinde ut Mi-  
snicorum, cujus hoc natale solum est, tanta non  
sit frequentia: illum in Saxonibus requirere  
copiam; Merita autem Doctoris nostri mini-  
me desiderare liquet. Misnicos enim non digni-  
tate, sed numero differri sentit. Verum enim ve-  
ro neque ejus Nationis ea tunc erat paucitas, quæ  
electioni locum non fecisset. Et si fuisset maxime,  
satius legibus Academia factum esset, Rectorem  
à singulis bienniis habuisse eundem, quàm indi-  
gnum elegisse. Sed hoc judicium Patrum Aca-  
demicorum Serenissimæ Aula calculus sequenti  
anno comprobabat, cum Professorum ordini  
eum adsereret, titulumque de Verborum & Rerum  
significatione docendum mandaret. Quæ num-  
quid series adscendentium ei reliquerat, an im-  
petraverat eruditio, haud facile est explicatu.

Nos

Nos si serie sua venisse dixerimus, vi statutorum legitime; Et eruditione si promeruerit, adscēdisse dignè innuemus. De quo ut liquido decernere in posterum iuventus posset, ita decidebant fata, ut V Vilhelmum Schmuckium Jctum de statione functionis simul & vitæ transferrent. Qui uti Præceptor erat BOHEMI; Ita solus luminibus ejus poterat obstruere. Et velut D. BOHEMUS è præceptoribus neminè habebat, Schmuckiū qui præcederet; Ita Schmuckius è Discipulis nullum qui se sequeretur, cui lampada quasi ad pandectas traderet, præter BOHEMUM. Restabant rescripta Imperatorum, quæ per Justinianum Imperatorem in altero codice conjecta, tanquam oracula hunc interpretem expectabant. Annus hic agitur decimus, Lectores; ex quo doctissimi viri voce Academia sedes & subsellia sacra hæc constitutiones personare cœperunt. Quæ res quàm præclarè, quàm gloriose ei successerit, testes vos quotquot adestis Doctores Juris appello. Quorum pars haud parùm multa Rempubl. tractare ex eâ tempestate cœpistis, quidam discipuli ejus esse, plurimi Academia nomen dare, ubi ejus hic iterum Gubernator opta-

optaretur. Et quem ad modum tūm, quum Ju-  
venis studiis Nobilissimi Viri Nicolai Gebhar-  
di à Wiltitz/ in Sieben Eichen / Consiliarii  
postea intimi ad aulam Septemviralem, mode-  
raretur, consueverat: Itane postea quidem do-  
cendi privatim, ex quo publicis recitationibus  
vacabat, desinebat, adeo ut valetudinem studiis  
etiam impenderet. Sunt anni aliquam multi  
quum movendi difficultate & lassitudine  
membrorum gravari inciperet. Cui augenti in-  
dies paralysis lingua postea, tūm profundus sen-  
suum sopor, accedebat, & inexpugnabilis dor-  
mendi necessitas, quem carum Graeci appellant,  
vim imaginativam, unā cum functionibus a-  
nimalibus auferens, donec fatalis & decretoria  
hora superveniret. Quae quamvis non ita etate  
provectum oppresserit, dubites tamen an non  
tempestive venisse dicenda sit ei, qui nondum  
quidem inter homines esse desierat, hominem ta-  
men jam diu vebementiā morbi exuisset; ut vive-  
re oporteret, qui sapere amplius non posset. Ia  
deservit mens caelo cognata hunc mundum, an-  
tequam vita corpus suum relinqueret: At nunc  
mutatā mortalitatis scenā vivit totus ea parte  
quā sapuit, quā credidit, quā hōestissime vixit.

At tu Matrona honestissima, quæ post defunctum priorem Maritum ita in secundum D. Bohemi thalamum ante annos undecim transibas, quo tertium ejus instaurares, habuisse maritum in bonis maximis esse cogita, ut carere eo nunquam velle inhumanum sit. Eaque videm dolorem præsentis funeris non sentire non potes, quæ pia es, sed quæ pia es, ferre non posse multo minus decet. Hoc optimo temperamento dolere obitum debes & dolorem vincere. Discessit maritus tuus: qui discedendo ad uxores binas, quas præmiserat, redit. Habet illic Rosinam Eulenaviam suam, quam duxerat anno seculi hujus vigesimo septimo. Habet Mariam Schefferi, anno sesquimillesimo vigesimo secundo sibi junctam. Habet utriusque Patrem suos soceros. Hunc Curie Provincialis, Facultatis Juridicæ, & Scabinatus Assessorem: Ambos immortalitatis hæredes. Denique firmiter apud animum tuum constitue, nunc demum vivere maritum, cum sine corporis impedimentis vivit. Vos verò, magnæ animæ, & æternitate dudum compotitæ, quæ facem ad augustissima juris studia præluxistis ei, accipite æternitatis collegam, quem successorem vobis in terris efformavistis. Tu Reinharde Rosa, longiore vitâ digne, nisi melior obtigisset, Tu Josepho Avenarie, nondum tunc Cancellarie, adsciscite beato vestro consortio discipulum, qui virtute & eruditione suâ effecit ne virtutes & eruditio vestræ taceantur. Vos qui artium & sapientiæ præceptis animum ejus composuistis, tu Bruno Beccere, tu celeberrime Neldeli, tu Friderice, vireat urna vestra, quam elogio hoc tanquam floribus ut conspergamus, Defunctus velut fidei-commissio nos obstrinxit. Denique Parentes, & tu Mater Catharina Grishammeri filia, quæ vix dies quinque Francofurti ad Viadrum natum necessitate fati destituit, jam redhibe sexagenarium. Cui ultimum vale dixeras, quum nondum dolere sciret, huic reduci gratulare nunquam lætari desituro. Quod superest, meritissimi Antecessoris memoriam, studiosi Juvenes, veneramini, famamque inculpatam in precio habe te. Ita qui vivus commodis vestris studuit, mortuus etiam prodesse poterit. PP. 7. Eidus Aprilis Anno M DC XLV.

Typis TIM. RITZSCHII.

Pa 29/8 QK

W.D. M.C.



Ms. 296.

# Rector

Lip

In

JOHANNIS

& Ant

*Caus*

BIB

MON

